

1237

INITIA celeberrimæ huius & antiquissimæ Academiæ iacta sunt à Friderico II. Casare Germano XXIII. bonarum artium multarumq; linguarum peritissimo Anno 1237. Is rebus & terra & mari maximis foeliciter peractis, atq; filio suo Cunrado in futurum Casarem electo, Scholam hic Viennæ instituit amplissimam. Nam ut se virtutibus & prudentia magis, quam ullis alijs præsijs, ad summum hoc decus atq; fastigium euectum intelligebat, ita prudentiss. Imperator parum esse putabat filio magnum relinquere Imperium, nisi ipsam prius Remp. illis confirmaret disciplinis, quibus & Imperij maiestas retineri, & vires Reip. Christianæ indies possent augeri.

QVI autem ab eo tempore Rectores, aut quæ illorum fuerit successio, ob annales aut tum temporis neglectos, aut bellorū grauissimarumq; mutationū frequentia amissos, in specie quidem omnes enumerare non possumus, id tamen certum esse constat: hanc Scholam annis 118. continuis in maximo fuisse flore, atq; doctissimis semper abundasse viris. Qui, ut rectè ex huius Imperatoris Friderici II. diplomate quodam, vir summæ eruditionis & maximi nominis WOLFG. LATZIVS Medicinæ Doctor & Professor, Casareus Consiliarius & Historicus innuere videtur, plenam iam tum habuerint potestatem, in omni artium genere creandi Doctores.

1365

TEMPORE AVTEM CAROLI III. Imperatoris grecè & latine doctissimi, qui magnam sibi ex aureæ Bullæ promulgatione comparauit laudem: vbi Scholæ huius frequentia atq; celebritas apud exteros etiam

B populos